

1737, 15.
15.
**COMMENTATIO
DE IVSTITIA**

EIVSQUE

SPECIEBVS

IN

ARISTOT. ETH. V.

CVM

INCLYTA FACULTAS PHILOSOPHICA

LIPSIENSIS

ABRAHAMO Gotthelf KAESTNERO

L I P S .

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

CONFERRET

AB EODEM PVBLICE RECITATA.

IX. CAL. MARTII c. 10. l. CC. XXXVII.

LIPSIAE
TYPIS RICHTERIANIS.

COMMISSARIAT
DE VILLE
SOCIETAS

EIVASCA

SCHCIBAS

IN

LAHTI TORNIA

EX

ASSOCIATIONE CIVICALE IN LAHTI

1823-1824

ASSOCIATIONE CIVICALE IN LAHTI

EX

ASSOCIATIONE CIVICALE IN LAHTI

1823-1824

ASSOCIATIONE CIVICALE IN LAHTI

1823-1824

EX

ASSOCIATIONE CIVICALE IN LAHTI

EX

ASSOCIATIONE CIVICALE IN LAHTI



RECTOR ACADEMIAE
MAGNIFICE, FACULTATIS PHI-
LOSOPHICAE DECANE SPE-
CTABILIS.

AVDITORES OMNIVM ORDINVM
HONORATISSIMI.



Γ iussibus INCLYTAE FACULTATIS obsequar, more recepto, pratermissō omni vltiori præfamine, ad expositionem *Libri V. Eth.* ARISTOT. me conuerto. Philosophus in hoc libro de iustitia agit. Huius igitur essentiam paullo accuratius contemplemur. Ex vsu loquendi primum STAGIRITA eum iustitiae conceptum deducit: quod sit habitus actio- nes legibus conformes perpetrandi, vt iniustitia in actio- nibus consistit, quae legibus aduersantur. Leges ciuiles intelligere eum, ex contextu patet. Igitur iustitia con- tinebit virtutes omnes, quae legibus ciuilibus imperantur. Virtutes vero a legibus ciuilibus imperantur eae, quibus sa- lus publica continetur. Et cum ex Politicis constet, ad salutem Reipublicæ pertinere, vt quilibet ciuis suum acci- piat, iustitia vniuersalis continebit virtutes erga alios ex- ercendas, hasque omnes. Omnia enim officia erga alios le-

gibus ciuilibus præscribi, ipse docet PHILOSOPHVS
Cap. 3. His igitur suppositis, plana erunt, quae vterius de
hac iustitia praedicantur. Est alienum bonum, siquidem
aliis sua tribuit, est virtutum pulcherrima et perfectissima,
quae latius omnia ipse ARISTOTELES ostendit.

Vocant iustitiam, de qua huc vsque locuti sumus, vni-
uersalem, eiusque duas partes integrantes constituant, de-
clinare a malo, et facere bonum. Explicat has D. THO-

a) In Sec. sec. MAS, a) et ex eo plerique doctrinae moralis Scriptores.
3. 49.

Porro autem monstrat Philosophus alio adhuc sensu
iustitiae iniustitiaeque vocem adhiberi. Vocamus quasdam
actiones iniustas, quae ad nullam vitiorum classem referri
possunt, cum tamen in hoc significatu quaelibet actio iniusta
ad certum vitii genus pertineat. Vt: qui adulterium libi-
dine inductus commitit, intemperans vocatur, qui lucri
causa, eius delictum ad nullum vitium referri potest nisi ad
iniustitiam. Oportet igitur iniustitiae, iustitiaeque terminis
alias adhuc ideas substitui. Collatis vero casibus plurimis,
id reperiatur: Iniustum vocari, qui de bonis externis
lucri causa plura sibi adrogat, quam fieri potest iure, iu-
stum contra, qui suum cuique de bonis externis tribuit.
Bona vero externa nihil aliud sunt, quam quod ARISTOTELIS
innuit, vbi docet: Iustitiam, de qua nunc loqui-
mur, versari in honore, aut pecunia, aut salute, aut si quo uno
nomine haec omnia complecti possimus. Haec iustitia est,
quae particularis appellatur. Solent Moralis Scientiae Do-
ctores duas Species iustitiae iam explicatas eiusdem partes
fubiectivas appellare, atque definitioni, quam de iustitia spe-
ciali tradidi, iungere definitionem VLPIA NI. b) Philo-
sophi cum ICto consensum ostendit III. WOLFIUS, in

b) In l. 10. z. de Iust. et Iur.
c) Anni cixi et ccxxix, Trin. 10. II.
Horis Subseciuis Marburgensis, c) qui plura etiam hoc spe-
cificantia explicat.

Bona vero externa vel societatis sunt, & diuidenda in-
ter socios, vel commutantur a priuatis, non habito ad socie-
tatem respectu. Tum socii, tum qui res suas commutant,
id acci-

id accipere debent, quod ad quemlibet pertinet; Alias querelas instituerunt, et has quidem iustas. Nascitur inde duplex iustitia, una, quae determinat, quantum sociorum quilibet nancisci debeat ex bonis communibus, altera, quae commutationes dirigit, ut iuste fiant. Priorem a distribuendo, distributiuam vocant, alteram a commutationibus commutatiuam, vel quia iniustas commutationes corrigit, correctriam. Videntur ARISTOTELI in discernendis his iustitiae speciebus viam praeiuisse ISOCRATES, d) et d) In Areopag. PLATO. e) Vterque docet non posse eodem loco in git. gubernanda Republica, haberi ignavos et bene merentes, aliamque aequalitatem esse, quae tantundem singulis tribuit, aliam quae singulis tribuit, quae congruunt. Ut haec clariora fiant, de vtraque iustitia sigillatim agam. Primum de distributiua.

Socii, quotcunque societatem constituant. Ex communibus societatis bonis inter eos aliquid dividendum sit. Aio id fieri debere, ut utilitas, quam quiuis societati confert, ad id quod accipit sit ut utilitas, quam alter confert, ad eiusdem portionem in proportione geometrica. Vti si primus sextuplum conserat alterius, et alter triplum tertii, primus accipiat sextuplum alterius, et secundus triplum tertii.

Demonstrationem theorematis hujus, quod vulgo adsumere solent, ita concepi: Ratio cur quiuis socius ex societatis bonis aliquid accipiat, in nulla alia re continetur, nisi in iis, quae ad utilitatem societatis confert. Quocirca merita cuiusvis socii in societatem caussae sunt eius, quod accipit: Ast caussas effectibus esse proportionales ex Ontologicis constat. Igitur patet, portiones, quas socii accipiunt, proportionales esse meritis eorum in societatem.

Evidenterissimum huius iustitiae exemplum habemus in societate mercatorum. Sint tres mercatores in societate constituti, quorum summae collatae denotentur litteris A, B, C, portiones sint respectiue a, b, c, erit A : a = B : b = C : c et A + B + C : a + b + c = A : a. f) quod est regula f) Wolf. Ar. Lat. §. 187. socie- ed. nou.

societatis. Huius vero regulae fundatum est, quod Iustitia distributiva procedat secundum proportionem geometricam. Adeoque minus recte quidam theorema de iustitia distributiva demonstratur ad regulam societatis provocant. Quis enim propositiones philosophiae moralis e praxi mercatorum demonstret?

Respublica societas est, adeoque de societate in genero euicta, ad Rem publicam applicari possunt. Quippe ARISTOTELES cum plerisque Ictorum, iustitiam distributivam esse ait, quae bona Reipublicae distribuit. Neque tamen vitio verteretur mihi, quod ea, quae de omni societate valent, de omni quoque enunciauerim. Id iam fecit IOANNES a FELDEN, g) cui fateor, me tum de multis rebus iuridicis, tum potissimum de praesenti materia, primos distinctos debere conceptus. Elementis enim suis accuratiorem methodum conatus est aptare iurisprudentiae, et Themidos studio Mathesin Philosophiamque praemisit, notatoris elogio eapropter a coaevis, vt fieri solet, notatus. Sed ut ad rem redeamus, in republica ad bona communia pertinent honores, qui igitur pro ratione meritorum cuiusvis distribuendi sunt. Poenae iridem irrogandae sunt in ratione delictorum, et tributa in ratione opum imponenda. Delicta enim caussae sunt poenarum, opes caussae tributorum. Adeoque rursus applicandum est theorema Ontologicum, quod supra adhibui.

Non vero sequitur hominibus iisdem praeditis meritis, aut qui eadem delicta commiserunt, eadem conuenire specie praemia aut easdem poenas. Nam potest hic status personarum variare poenas vel praemia. Idem in tributorum impositione obtinet. Scilicet homini vilioris fortis praemium sufficit, quod dignioris factum licet idem, non sat is compensat. Diuersae poenae eundem dolorem in diuersis subiectis excitare possunt. Alio modo supplere quis potest, quod ipsis ex tributis remittitur. Igitur non negligitur iustitia, si hi homines diuersa praemia vel poenas accipiunt,

g) In Elem.
iur. vniuers.
P. I. art. 2.n.3

plant, ac diuersa tributa soluant, licet iisdem polleant meritis
opibusue, aut eadem commiserint delicta. Hoc respectum
personarum vocant, quem in iustitia distributiva obseruari
ex dictis patet.

Quod commutatiuam iustitiam attinet, supponendum
hic natura omnes homines esse aequales. Hinc conque-
rendi rationem habet, qui e complexu eorum, quae possidet,
aliquid amittit, nec tantum recipit, nisi ipse iuri suo renun-
ciet. Ergo si duo priuati res suas commutant, prior dum
alteri rem tradit, non debet pauperior fieri, quam antea erat,
illaque res, quam pro sua recipit, tantum valere debet quanti
suam aestimat. Sic si mercator mercem pro certo pretio
vendat, pretium, de quo conuenit, ipsi praestandum, alias si
pretium totum non acceperit, merce tamen tradita, paupe-
rior fiet. Et emptor totam mercem accipiat oportet pro
pretio toto. Ponantur opes mercatoris = a, emptoris = b,
merx = c, pretium = d, & debet ex dictis esse $a - c =$
 $b - d$, vbi proportio arithmeticamente facile appetet. Recte igitur
proportionem arithmeticam attribuunt iustitiae correctoriae,
vt geometrica distributiae conuenit. Cum autem valor
rerum per personas, in quarum dominio exstiterunt, regu-
lariter non varietur, in commutatiua iustitia respectus perso-
narum non obseruandus erit.

Si de vnu haec tenus ostensorum quaeras, non potest is
negari, nisi velimus in dubium vocare, quae ex natura socie-
tatis, et aequalitate omnium hominum naturali fluunt. Viri
eeteroquin optime de iurisprudentia meriti, qui distributi-
uam et commutatiuam iustitiam, proportionem geometri-
cam arithmeticamque scommatibus exagitant, res ipsas non
negabunt, si sub terminis notioribus proponantur. Licet
non ea adhuc temporum nostrorum sit felicitas, vt iurispru-
dentiae cultores omnes mathesi animum imbuant, non ta-
men deproperanda sunt iudicia de effatis, quae negamus,
quia eadem non intelligimus. Ipse reor, iudicem, propor-
tiones quid sint, ignorare posse, ast iuste non procedet, nisi
rem

rem ipsam obseruauerit. Ceterum largior non posse exakte in Republica rationem inter merita et praemia, delicia et poenas explorari, vt quidem in mercatorum societatibus; ast imitemur hac in re Geometras. Iftis ratio diametri ad peripheriam circularem proxime vera sufficit, vbi exakte haberi non potest in numeris desinentibus. Studeamus modo, vt, quantum fieri potest, iustitiae distributiae lex obseruetur. Errorem exiguum quiuis facile ignoscet. Nam et in iustitia commutativa Praetor minima non curat. Quod reliquas obiectiones attinet, a viris doctis propositas, v. g. ab HENR.

COCCEIO, h) eae licet grauiores, tamen facile soluen-

tur. GROTI*i*) monita discutit WOLFI*v*. k)

b) Diff. de proportionibus
Vol. I. 2.
i) In I. B. et P.
L. I. c. I. §. 8.
n. 2.

k) Hor. subl.
I. c. §. II.

Breuitate prohibeoir, quo minus addam, quibus materia omnis libri propositi exhaustur, et quaestiones decidam a Doctoribus moralibus hac occasione proponi solitas. Euoluat harum rerum cupidus Interpretes ARISTOTELIS, aut MOLINAM, LESSIVM, aliosque, qui de iustitia et iure scripsierunt, maximam partem in capita quedam ex *Secunda secundae DOCTORIS ANGELICI* commentati. Ego vero hic pedem figo. Noui quae suboriri poterant maxime contra demonstrationes, quas adduxi, dubia. Sed eorum solutiones addere spatium non permittit. Neque vero deerunt illae animo veritati inuestigandae apto, eiusdemque cupido. Quod reliquum est, vt iuuenilis industriae specimen hoc esse, et arctis pro dignitate materiae circumscriptum limitibus pensent lectores, sicubi errores aut breuitatem iusto maiorem deprehenderint, precor.



Lipps, Diss., 1737 A-c

VD 18



1737. 15.

15.

COMMENTATIO
DE IVSTITIA
EIVSQVE
SPECIEBVS
IN
ARISTOT. ETH. V.
CVM
INCLYTA FACULTAS PHILOSOPHICA
LIPSIENSIS

ABRAHAMO Gotthelf KAESTNERO

LIPS.

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
CONFERRET
AB EODEM PVBLICE RECITATA.

IX. CAL. MARTII c. 15. CC. XXXVII.

LIPSIAE
TYPIS RICHTERIANIS.

Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches

8

7

6

5

4

3

2

1

0

